



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quod per Adam originale peccatum intrauit in omnes, id est,  
concupiscentia. H

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

concupiscentia vel concupiscibilitas: quæ dicitur lex membrorum, siue languor naturæ, siue tyrannus qui est in membris nostris, siue lex carnis. Vnde Aug. in li. de baptismo paruulorū. Est in nobis concupiscētia, q̄ nō est permittenda regnare. Sūt & eius desideria, quæ sunt actuales concupiscētiæ, quæ sunt arma diaboli, quæ veniunt ex languore naturæ. Languor autem iste, tyrannus est, qui mouet mala desideria. Si ergo vis esse victor tyranni atque inermem inimicum inuenire, non obedias concupiscentiæ malæ. His verbis satis ostenditur, fomitem peccati esse concupiscentiam.

*Quod nomine concupiscentiæ intelligitur fomes peccati, & quæ dicitur fomes.* H

Nomine autem concupiscentiæ non actum concupiscendi, sed vitium primum significauit, cū eā dixit legem carnis. Vnde idē in tractatu de verbis Apostoli ait, Sēper pugna est in corpore mortis huius: quia ipsa concupiscentia cum qua nati sumus, finire non potest quādiu uiuimus, quotidie minui potest, finire nō potest. Quæ autē est concupiscentia, cum qua nati sumus? Vitium utiq̄ est, q̄ paruulum habilem concupiscere facit, adultum etiā concupiscentē reddit. Sicut enim in oculo cæci, in nocte vitium cæcitatē est: sed non apparet, nec discernitur inter videntē & cæcum, nisi luce veniente: sic in puero vitium esse non apparet, donec ætatis pœterioris tempus occurrat. Ex his datur intelligi, qd sit originale peccatum, scilicet, vitium concupiscentiæ: q̄ in omnes concupiscentialiter natos per Adam intrauit, eosque vitiauit. Vnde Aug. in libr. de baptismo paruulorum. Adam præter imitationis exemplum, occulta etiam tabe concupiscentiæ suæ tabificauit in se omnes de sua stirpe vêturos. Vnde Apostolus recte ait In q̄ omnes peccauerunt. Circumspecte & sine ambiguitate dicit hoc

*Serm. 12. de  
verbis Apoc  
stoli.*

*Aug. ser. 12.  
de verbis a-  
post. exponēs  
uersum: Gref  
sus meos  
psal. 18.*

*Aug. serm.  
45. de tēpo-  
re, quæ est 2.  
Dominic. 3.  
post Epipha-  
niam 10. 10.*

*Aug. libr. de  
peccatorum  
meritis &  
remissione  
1. ca. 9. in  
fine. com. 7.  
Ibidē ca. 10.  
continuo in  
principio.*

hoc Apostolus. Si uen. intelligatur, in quo homine, siue in quo peccato, sanum est. In Adam n. omnes peccauerunt, ut in materia, non solum eius exemplo, ut dicunt Pelagiani. Omnes n. ille vnus homo fuerat, id est, in eo materialiter erant. Manifestum est itaque, omnes in Adam peccasse, quasi in massa. Ipse n. per peccatum corruptus, quos genuit, omnes illi sunt sub peccato. Ex eo igitur sicut cuncti constituti sunt peccatores, ita & in illo vno peccato, quod intrauit in mundum, recte omnes dicuntur peccasse. quia sicut ab illo vno homine, sic ab eodem vno peccato immunes esse non possunt, nisi ab eius reatu per Christi baptismum absoluantur. Alia ergo sunt propria peccata in quibus tantum peccant quorum peccata sunt. Aliud hoc vnum in quo omnes peccauerunt, i. ex quo omnes peccatores constituti sunt.

*Quid sit peccatum in quo omnes peccauerunt, scilicet, originale, quod ex inobedientia processit.* I

Hoc est originale peccatum, quo peccatores nascuntur omnes concupiscentialiter geniti: quod ex Adam, siue ex eius inobedientia emanauit, & in posteros demigrauit. vnde Apostolus consequenter, per inobedientiam vnus hominis, multos dicit constitutos esse peccatores: quæ est actuale peccatum. Cum autem dixerit per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & in eo omnes peccasse, de originali dictum esse oportet accipi.

*Ex quo sensu dictum est, Per inobedientiam vnus, multi sunt constituti peccatores.* K

Quod ergo ait, Per inobedientiam vnus multi constituti sunt peccatores: eo sensu dictum esse intelligendum est, quia ex inobedientia Adæ, scilicet, ex peccato actuali Adæ, processit originale peccatum, quo omnes peccatores nascuntur: ut & in illo esset, & in omnes transiret.